

dum etiam acûs magneticæ, aliâ vice simile examen subeuntis, directionem sub exhausta campana nihil omnino mutam deprehenderamus. Et hoc posterius quidem mirum nobis hautquaquam videbatur, quandoquidem directio magnetica, non ab aëre aut ejus elaterio, sed ab influxu quodam subtiliore, ab uno polo terræ ad alterum perpetuò manante, pendere videbatur, cujus fluxus eò minùs impeditus foret, quò magis aër exantlando erat remotus. In attractionis negotio verò, in quo aëris ambientis elaterem & pressionem dominari credebamus, necessum omnino judicaveramus, ut subtracto illo aëre ambiente, notabilis accideret mutatio, quæ tamen hac vice nulla accidit. Et sanè, si penitus exhauriri vas hujusmodi posset, id quod tamen difficillimum, si non impossibile, expertus est ante nos illustris Boyleus, nescio annon actum esset penitus de illa pulsione, quam attractioni majoribus nostris creditæ substituit hoc nostrum ævum. Nunc autem, quando & aliàs minora illa vasa difficiliùs exhauriuntur majoribus ob rationem alibi datam, & quod non semel conquesti sumus, valvulæ sive ventilia tam arctè non claudebantur, quin aliquid aëris subinde retrò admitterent; nihil fortassis impedire suspicandum nobis fuit, quò minùs ab aëre jam debilitato, cæteris existentibus paribus, æquè validè comprimerentur duo illa corpora; quandoquidem eadem proportione & exterioris comprimentis & intermedii ab influxu magnetico repellendi vis unà decreverat, ita ut, quantò debilior esset illius pulsio sive pressio, tantò facilior etiam esset hujus æquè debilitati cessio, idemque adeò effectus consequi posset citra mutationem sensibilem. Sed de his plura fortè alio die.

IV. Nunc illud vel tribus verbis commemorabimus, quòd experimento proprio verum esse deprehenderimus id, quod *Schottus* in *Mag. Magnet.* notaverat, filum ferreum aut acum chalybeam infernè filo alligatam supernè à magnete vicino, eam tamen non tangente, in aëre suspendi posse.

Gg

Cùm